



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

14. Claudenti fores & aures, ne pauperes audiat, claudit & Christus suas  
fores & aures.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

## XIII.

Omnium elementorum exempla, quæ recensuimus, in terrâ contigerunt, quamobrem etiam terræ possunt ascribi. Addam tamen vnum alterumque adhuc peculiare, quod circa D. Ambrosium euenit, qui et si, vt mundi incola, cum D. Paulo, non existimauit, se hîc habere manentem ciuitatem, & vt in prouerbio est, terram pro terra libenter commutasset, diuino tamen præsidio defensus est, ne in exilium mitteretur, eo ipso misso, qui illi exilium parauit. Ita enim de eo scribit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus. *Mediolanum reuersus, innumeras insidias & persecutiones passus est à Iustina Imperatrice matre Valentiniani iunioris Ariana, muneribus & honoribus contra eum populos concitante. Cùm autem multi ex Arianis præcipuè eum in exilium mittere niterentur, vnus cateris infelicio (nomine Euthymius) in tantum furorem excitatus est, vt domum sibi iuxta Ecclesiam Ambrosij locaret, hac de causa, vt in eadem quadrigam paratam haberet, quò procurante Iustina facilius raptum in exilium deportaret. Sed Dei iudicio ipsa die, qua eum rapere arbitrabatur, in eadem quadriga de eadem domo in exilium ipse pulsus est. Cui tamen Ambrosius reddens bona pro malis sumptus & necessaria ministravit. Ita sæpe quis sibi parat malum, quod alteri parat, & qua re alium vult in exilium vehere, vehitur ipse. Memini Augustæ aliquando virum ita viribus defectum, vt pro deposito haberetur; cui vxor futuro marito funere lata, iam capulum parari iusserat, & ante oculos constituebat. Hoc vbi vidit maritus nolens vxori tam improbæ moriendo gratificari, animo pariter ac viribus resumptis è lecto surrexit, offam comedit, & non secus, ac si numquam ægrotasset, foras ambulauit. Quod videns vxor in insaniam versa ipsa decubuit, & defuncta in illo ipso feretro est elata, quod curauerat pro marito preparari; inciditq; in foueam sepulchri, quam marito fecit, sed ad D. Ambrosium reuertamur.*

S Antonin.  
part 2. tit. 10.  
c. 7. §. 1.

## XIV.

Alterum itaque eiusdem iustissimæ diuinæ vindictæ exemplum idem author, ibidem memorans ait: *Quadam die Ambrosius ad palatium Macedonij magistri officiorum, vt pro quodam intercederet, venit. Sed cùm fores clausas inuenisset, nec intrandi copiam habere potuisset, ait: Et tu quoque ad Ecclesiam venies, & non iannis clausis, sed apertis ingredi non valebis. Post aliquod tempus timens Ma-*

*cedonium*

cedonius inimicos, qui eum insequerentur, fugit ad Ecclesiam, sed apertis ianuis intrare non potuit. Audite hæc, qui ianuam pauperibus, qui miseris aures clauditis, & eliminatis à vobis mendicantes, aut Christum inferre ad vos volentes. Quemadmodum Macedonius Ambrosium excludens è palatio, exclusus est è templo; ita vos Christum excludentes è domo, vicissim excludemini è calo. Tunc enim dicetur: *Et clausa est ianua*, quando nimirum vos dicitis: *Matth. 23. 10.*  
*Domine, Domine aperi nobis.* Tunc enim & ille respondebit: *Amen dico vobis, nescio vos.* Cuius rei Tragicum exemplum nobis suppeditat Ioannes Duegenius, in speculo tristium, de homine, quem à multis virtutibus laudat. Nulli enim erat obnoxius blasphemix in Deum. Nulla in eo erat superbix nota. Demisso esse animo videbatur; demisso vultu incedebat. Abstinentiã quoque, & castis se se moribus vbique commendabat. Hic talis in vita, morrem quoque parem putabatur habiturus. Sed secus euenit. Nam postquam extremum diem obiit, funus ductum est, & cadauer in templum solenni pompa perlatum. Ibi, dum Episcopus sacris operatus est, nouum planè, & admirabile spectaculum præsentium se se oculis obiecit. Quotiescumque enim Episcopus ad populum conuersus dixit: *Dominus vobiscum*, toties illi visa est lignea Christi Domini in crucem suffixi imago, manus ambas clavis eximere, digitisque aures suas obturare, ne preces pro defuncto factas excipere cogeretur. Eo monstro attonitus Præsul, statuit, peracto demum sacrificio, tam stupendæ rei causam exquisitiùs indagare. Quod vbi fecit, nihil ab eius aut vicinis, aut familiaribus aliud potuit exprimere, quàm præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et creuit non parum inde admiratio, donec tandem certis authoribus accepit, quàm asper ille atque immitis extiterit in egenos; à quibus iuuandis adeò abhorruit, vt, ne vocem quidem eorum mendicantium ferre posset. Qua de causa, remotiùs ab ædium ianua, & prospectu in plateas, nouum sibi domicilium struxit, vbi conditus nullos vel maximos pauperum clamores percipere posset. Hac inclementia cognita, facilè intellexit Episcopus vrbis, non immeritò Christum Dominum preces pro mortuo fufas audire noluisse, quem sciuerat & ipsum ad clamores pauperum aures suas occlusisse. Hoc etiam vtique in

Io. Duegen.  
 Hisp. in speculo tristium  
 cap. 3.

supremo iudicio faciet, atque coram Patre suo, cuius vel imago id mortalibus ostendit, manibus aures suas obstruens. Quid enim  
 Prover. 23. 13. aliud vaticinatus est Salomon, cum dixit? *Qui obturat aures suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

CAPVT LIII.

*Cladem Ierosolymitanae urbis ac Iudaeorum, ob Dei Filium tam crudeliter tractatum, illatam imaginem esse poenae talionis, & eorum, quae etiam impoenitentes Christiani merentur, dum per quae quis peccat, per eadem & punitur.*

I.



Luc. 23. 28.

Multi dolent & flent, si socijs, aut amicis calamitas accidat; & neque dolent, neque flent, de calamitate sibi impendente. Quod etiam Christo Domino nos redimente, evenit. *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quae plangebant, & lamentabantur eum. Conversus autem ad illas IESVS dixit: Filia Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flate, & super filios vestros.* Bonum fuit utique, ut Christi innocentis morte dolerent, immo malum fuisset, si non doluissent; sed, quae

Matth. 7. 5.

si diceret ad turbam Christus: *eyce primum festucam de oculo tuo; aut, medice curate ipsum*, ita iubet turbam illam flere super se, & super filios suos; quibus non videntibus gravissima mala impendebant, ob Christum Servatorum tam truculentè habitum & occisum. In quo si caelestis Pater peccata aliena tam severè puniuit, quid Iudaeis futurum erat, ob peccata sua, & illam ipsam immanitatem, qua Redemptorem suum iniquissimè interemerunt?

Luc. 23. 31.

*Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Quoniam autem Iudaei illi vera quaedam imago sunt induratorum, impoenitentium, & Christi passionem ac sanguinem contemnentium, ostendendum est, quàm iustè primum illi, iuxta omnia, quae ipsi in Christum patrarunt, eadem passi sint; deinde, quòd eadem nobis, nisi poenitentiam agamus, sint metuenda, Christo dudum illud oraculum ponente: *In quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini;*

Matth. 7. 2.

Ioseph, lib. 7. & seqq. Antiquit. Tacit.

*& in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sumam autem omnia ex probatissimis authoribus, qui plerique, quare tanta mala